



BOUVIE H



TEOLOGICA

BX1751

B6

1856

V.1

C.1

D



1080046432

0

E # 2 - E # 42

INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ
AD USUM SEMINARIORUM.

TOMUS I.

INSTITUTIONES
233

PROPRIÉTÉ DES ÉDITEURS.

DE L'IMPRIMERIE DE BEAU, A SAINT-GERMAIN-EN-LAYE.

INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ
AD USUM SEMINARIORUM,

AUCTORE J.-B. BOUVIER,
EPISCOPO CENOMANENSI.

NONA EDITIO, JUXTA ANIMADVERSIONES
A NONNULLIS THEOLOGIS ROMANIS PROPOSITAS EMENDATA.

TOMUS PRIMUS.

DE VERA RELIGIONE. — DE VERA ECCLESIA.



110560

M.G.
PARISIIS,

APUD MÉQUIGNON JUNIOREM,

NUNC

J. LEROUX ET JOUBY, SUCCESSORES.

FACULTATIS THEOLOGICÆ BIBLIOPOLAS,
Via Majorum Augustinianorum, 7.

M DCCC LVI.

37889

BX1751

BC

1852

V.7



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON

MONITUM EDITORUM

CIRCA NONAM EDITIONEM.

Institutiones hæ theologicæ, cum plurimorum manibus versentur, notiores sunt quam ut in laudes earum excurrere opus sit.

Venerabilis auctor qui, ut omnes norunt, Romam accersitus pro solemnî privilegii B. V. Mariæ sine labe conceptæ definitione, hic, in pace et osculo Domini, die 29 decembris 1854 obiit, octavam præclari hujus operis editionem anno 1853 typis mandaverat, juxta animadversiones a nonnullis theologis romanis emendatam. Exhausta penitus hac editione octava, novam prelo subjecimus post diligentem recognitionem, ut quæ passim correctione adhuc egere videbantur, plenius ad mentem auctoris simulque theologorum romanorum, castigarentur. Hunc modum labori nostro et ipsa angustia temporis imposuit.

MONITUM AUCTORIS

CIRCA OCTAVAM EDITIONEM.

De origine harum *Institutionum theologicarum* ea judicamus repetenda quæ jam diximus in monitis ad præcedentes editiones, antequam de præsentis editione quid factum fuerit aperiamus.

Quando enim divina Providentia, omnia viis sæpe inscrutabilibus disponens, permisit ut, anno 1811, e collegio, in quo Philosophiam docebamus, ad diœcesanum vocaremur seminarium, ibique munere Theologiam docendi fungeremur, ægre videbamus alumnos incompletum et valde insufficientem præ manibus habere librum theologicum. Per additamenta manuscripta ei supplere tentavimus, ac primo integros Tractatus *de Restitutione* et *de Contractibus* novo juri civili accommodatos composuimus ac dictare cœpimus.

Sed multa inde nasci incommoda mox comperit habuimus, videlicet temporis jacturam, tædium in alumnis, eorum fatigationem, sanitatis detrimentum, codices imperfectos, sæpe incorrectos, contradictoria aut falsa continentes. Variis hujusmodi malis, pro viribus nostris, occurrere volentes, consilium iniimus, annis 1818 et 1819, dictos Tractatus *de Restitutione* et *de Contractibus* prelis mandandi et in lucem edendi. Successu prævisionem nostram longe superante, alios ab anno in annum dedimus Tractatus, qui numerosas obtinuerunt editiones.

MONITUM AUCTORIS CIRCA OCTAVAM EDITIONEM. VII

A pluribus annis inerat nobis propositum hos colligendi Tractatus, sicque Cursum theologicum elementarium junioribus seminariorum candidatis destinatum perficiendi. Per brevissima temporis momenta ab aliis gravissimi ponderis negotiis continuo renovatis libera, huic scopo dabamus operam. Subito, præter expectationem nostram conditio nostra fuit prorsus immutata, et vix quædam paucissimæ nobis remanserunt horæ studio theologiæ impendendæ.

Cum tamen tunc temporis, anno 1834, non superessent exemplaria alumnis seminarii nostri pro anno scholastico proxime incipiendo necessaria, angustiis undique nascentibus premebamur. Oportebat enim aut plures sejunctos Tractatus de novo imprimendos curare aut totam collectionem, licet nondum absolutam, edere. Maturo examine peracto, secundam potius amplectendam esse partem duximus.

Prima igitur hujus operis editio anno 1834, versus finem, in lucem prodit. Ab eo tempore sex alias successive dedimus auctas, et quantum nobis licuit, accurate revisas. Hæc est octava, quam majori, si fieri possit, studio, nonnullis etiam viris gravis auctoritatis curam adhibentibus, emendatam tradimus.

In posterioribus editionibus jam plura, ut omnes norunt, fuerunt addita aut immutata, ut ea quæ ad scientias naturales vel historicas, in Tractatu *de vera Religione*, aut ad veritates dogmaticas practicasve, in cæteris Tractatibus, pertinent, in ordine meliori et clariori modo statuerentur.

Quantum in nobis fuit, nihil prætermittere volumus quo nostræ *Institutiones* perfectiores fierent, evaderentque quasi manuale, non solum Theologiæ, sed Juris canonici, ac etiam, in iis quæ scitu necessaria sunt, Juris civilis, unde juniores alum-